

I. N. 7.

PHILOSOPHIA ANCILLANS,  
Hoc Est  
**PROCESSUS PIE  
PHILOSOPHANDI,**

Ex Suffragio atq; Indulcu Ampl: COLLEGII PHILOSOPH:

*In inclita Alma Aboensi,*

**DIRECTORE**

*VIRO CELEBERRIMO,*

**DN. M. DAVIDE CUN<sup>DI</sup>/**

POESEOS PROF: REGIO ORD.

Pro GRADU MAGISTERII in Philosophia  
indipiscendo,

*sobrie, sobrie propositus*

Ab

**HENNINGO Fuldha/**

TAVASTENS:

*In Auditorio Maximo*

Die 16. Maii horisq; Svetis Anni 1691.

---

Impr. apud JOHANNEM LAURENTI WALLUM.

*Reverendissimo in CHRISTO  
Patri ac Domino;*

# **DN. JOHANNI GEZELIO,**

**S.S. Theol. Doct. celeberrimo  
& undiquaque consummatissimo, Diœceœos Abo-  
ensis Episcopo eminentissimo, Consistorii Præ-  
sidi gravissimo, nec non Academiz ibidem  
Pro. Cancellario Amplis-  
simo.**

**PATRONO ET PROMOTORI MAGNO,  
Submisso animi zelo ad tumbam usque pie  
colendo,**

**SACRUM ET**

**PAX VOBIS ET CUM OMNIGENA BENEDICTIONE  
SUPER UTRASq;  
GEZELIANAM.**

Maxime Reverendo Amplissimoque  
Domino,

DN. J A C O B O  
FLACHSENIO,

S. S. Th. Doct. excellentissimo,  
Regiae Academiae Aboëns: Professori Primario,  
Dioecesis Archi. Præposito, Ecclesiarumque Ab:  
atque Numensis Pastori longè meritissimo,  
utriusque Consistori Assessori gra-  
vissimo,

MÆCENATI AC DOMINO,  
Promptissimo mentis affectu donec vixero  
suspiciendo.

CONSECRATUM.

DIVINA FELICITAS TEMPORALIS ET ÆTERNA  
DOMOS;

FLACHSENIANAM.



ausæ prægnantes, non defuerunt,  
Viri summi, Patroni Maximi qvæ  
memet materiam hanc subtilio-  
rum tricis expositam publici  
juris facere instigarunt. Quid  
pe cum viderem, reginam scientiarum Metaphysicam  
adeo penes perplurimos (qvibus Natura fungum  
pro cerebro & peponem pro corde dedit) suis ho-  
noribus exutam esse, ut magna pertinacia non mo-  
do ipsius existentia inutilis, verum etiam, usus ad-  
alterius & noxius haberetur. Huic malo oc-  
currere & pro Modulo Ingenii strophas illaben-  
es refellere, demonstrare, prorsus duxi salutare.  
Quantum namqve Sol pulcherrimus ille Cœli o-  
ulus astrorum princeps fulgidissimus, omnibus  
tellis antistat excellentiæ decore fulget & singu-  
la inferioria nectarea virtute, luce splendidissima  
ovet ac illustrat; ita Aqvila Scientiarum Metaphy-  
ica in regali suo throno omnibus disciplinis &  
acultatibus lucem fœneratur qvam maximā. Hæc  
ipsa congeries est abstrusorum conceptuum; hæc pro-  
cessu suo naturam rei exprimit terminosqve de-  
clarat, posthabitatis qvibusvis Tullianis Platonicis

ve pigmentis hæc brevitati studet qvæ res æqve  
verbis & demonstrationes certas habet pro ne-  
statu. Hæc illa est ignorantæ expultrix cujus  
intuitu non sine summo judicio olim dixit Schee-  
kius Ecclesiæ tunc demum fore quietas & beatas si aut  
Philosophi Theologiae operam darent aut Theologæ i philo-  
sopharentur pie, non ideoqve adeo obtura & in-  
utilis vel perniciosa est Philosophia Nostra ut te-  
mtere traducitur. Præprimis vero ab illis qui No-  
men audiverunt ipsam nunquam inspexerunt. Qvo autem  
hisce pagellis lucem, qvam à se vel in se non ha-  
bent, tñenerarer, illas *Magnificentissimis vestris Non-  
minibus Viri Summi Patroni Maximi* sacras esse vo-  
lui. Sulcipe Qvæso Reverendissime in Christo Pa-  
ter ac Domine, Auraici poli felicitas & gloria soli  
natalis nostri Finlandiæ. Suscipe qvælo *Maxime  
Reverende Domine*, Ecclesiæ decus, virtutis  
atqve sapientiæ singularis Mæcenas. Suscipite  
qvælo vos Invictissimi CAROLI XI. Regis nost:  
Clementiss: viri inclyti atqve Celeberrimi; susci-  
pite inqvam qvælo voluntatem pro re ipsa, affectum  
ponderate non ponderatis pagellis. Adspiret mihi  
munificentissimus vester favor. Et sic satis  
habebit contra omnes invitores illé ipse, qui de-  
bita atqve submissa devotionis & pietatis officia,

pie

piè atqve feliciter comprobare voto alloborabit  
seqventi : Vigeat floreat inclyta & nobilissima  
domus GEZELIANA ! vigeat floreat celeberrima  
Domus FLACHSENIANA ! vigeant floreant in poste-  
ritatem prolixam ; omnibus condecoratæ atque  
cumulatæ à DEO bonis illis , qvæ mortales beare  
in hac & vita possunt futura ! Vigeant floreant  
valeant ! ceu volet

REVERENDISS: in CHRISTO PATER  
ac DOMINE,

Nec non.

MAX: REVERENDE atq; AMPL. DN. Doct.

MAGNIFICENTIORUM NOMINUM VESTRORUM

Dabam Aboë d. 10. Maii,  
1691.

*humilimus cliens*

H. Fulda.

AD JUVENEM

*Virtute, oreu & liceris commendatissimum*

DN. HENNINGUM FULDHA,

Phil:Candidatum ingeniosissimum, Amicum meum  
& commensalem familiaris consuetudine probatum, cum pro obu-  
nendis in Philos. honoribus summis, eruditè disputaret

Author

GRATULATIO:

**F**am tenus hac multas doctrinæ prodidit artes  
Diva Minerva tuæ, depromptas divite venâ  
Fœcundi cerebri, sacris junctissime Musis,  
Et claris multûm studiis notissime FULDHA.  
Orbe Cleantheo celebris septena virorum.  
Turba, sonos dulces perdocti gutturis hausit.  
Quid valeat cautis pingendis dextera scriptis;  
Eloquiumque labris qvod sit; qualisque ferendi  
Judicium prostet virtus: Hæc munera tanta,  
Ingenii vis alma tui monstravit abunde;  
Illaque mentis opes altas testatur adesse.  
Et tandem quis sis solenni voce profaris,  
Pulpita cum resonant doctarum academica laudes  
Curarum FULDHÆ. Quid? Non sibi tibia carmen,  
Cantitet Euterpes. Quid? Non sibi ferta plicabit  
Ipsa novena cohors? Festivas tempora frondes  
Has meruere sibi doctrinis; Præmia tanta,  
Una debentur nitidæ virtutis amori,  
Qvem servare mihi constanter FULDHA videris.  
I, decus I charitum, sortis potiare benignæ!  
Vive Deo charus, felixque favore Bonorum!

DAVID LUND.

VIRO

VIRO JUVENI

Ingenio, Virtutibus & exquisita eruditio[n]is gloria.  
maxime conspicuus atque claro,

DOMINI. HENNINGO FULDHA.

Philosophiae Candidato dignissimo,  
Amico intimo, pro honoribus Academicis legi-  
time obtinendis, nervose & eruditè  
differenti :

**N**oster amor, Juvenum flos, o doctissime FULDHA,  
Inter preclaros fax oritura Viros;  
Dum sacrare paras Pimpleæ docta cohortis,  
Dogmata, queis monstras dexteritate piæ,  
Quid dileat studium prænobilis Ontologie,  
Quam si perpetuò fida ministra sacrae  
Teologiae; pandis præcellens mentis acumen  
Et pariter laudes atque brabea meres:  
Laudibus extolles Te Pindi docta cetera,  
Præmia larga feres, que paras Alma Trias.

Hanc sinceri animi sui tesseram  
per amicē reliquit  
**ERICUS TAMMELINUS,**  
G. F.

MEM

MEMBRUM PROOEMIALE PRIMUM  
Conditionem Intellectus humani usque ad finem percurrente.

§. I.

Dæ prævaricatio, proh miseranda Clades! sibi omnibusque à se oriundis Aethiopicam inscitias nigredinem adeo attraxit, ut intellectus suā lucce privatus, voluntas concreata fanctitate orbata, quid verum vix & ne vix quidem percipiat, & omne bonum, malorum specie decepta, nullo non tempore aversetur. Adeſt jam in mortalibus nebulaſa barbaries & habitualiter quasi, omnium infedit arimis, adeſt restricta prorsus & fere nulla voluntas, deperdita eſt libertas, amissa bonitas, atque ſemota veritas. In ſumma: Natura humana horribilem corruptionis ſtatū, relictis innocentiae epulis, ſubire coacta eſt. Heu priſca libertas! ſanè miserandum fecit judicii mentisq; naufragium Homo. Hinc tot ſapientum querelæ: hinc ille mortalium obortæ ſunt lacrymæ; Nihil veles inſi quod non volo, nihil ſeo, niſi quod non ſcio. Voluntas quippe in malis graffatur, actusque bonos ignorat, intellectus tenebroſa caligine obfuscatus ore continuo ſe nihil ſcire proclamat, re ipsa ostendit, experiundo docet, dicitat, conformat.

§. II.

Gloria tamen DEO in excelsis, qui miseria mortalium commotus, charitate ſupra omnem charitatem misericordiam plebem respexit, & ut in hemisphario ſuperiori in rebus ſcilicet ſpiritualibus, non omnem viam ſemeriſum inveniendi ſectuſam eſſe voluit, præmuniendo nos mor-

A

tales,

tales *Koncile*, ceu loquuntur *invocatis* notitiis principiisq; insitis  
 atq; primis, in qvibus semetipsum expressit atq; constare  
 fecit; imo etiam aperiendo nobis *librum Scriptura* ubi ultro  
 constat, non modo objectivè qvod sit Deus; sed etiam for-  
 maliter qvid & qyomođo colendus sit, adeoq; fruitio i-  
 psiis genuina & cultus religiosus, imo modus & media  
 subjectorum cum DEo reconciliandorum, aperte clare  
 atq; perspicue expenduntur; ceu magno animo tam per  
 principia in libro prædicto contenta, qvam per legitimam  
 consequentiam inde deducta, docent Theologi præpri-  
 mis orthodoxi Lutherani: Ita etiam in *bemisphærio inferiori*  
 parili modo suam non subtraxit gratiam æternus ille Pla-  
 stes sed rationem qvandam amissa recuperandi h. e. rudi-  
 menta atque rudera qvædam cognitionis, tam theoretica  
 quam practica complexa & incomplexa, paternè concep-  
 fit, aperiendo item *Volumen Nature perfectissimum*, ipsum  
 fundatum cognitionis Naturalis repræsentativum,  
 mortalium sensibus exposuit, ex cuius sedula atque accu-  
 rata contemplatione exsurgit ultimato Auctoris gloria &  
 per discursum acqviritur, rerum ignotarum perfecta &  
 habitualis notitia, qvam acquisitam nuncupare solent philo-  
 sophi. Ut ideoq; in controversiis hemisphærii superioris  
 præcisiss traditionibus Pontificiorum & qvæ sunt alia, sola  
*Scriptura Sacra Canonica* pro Norma & mensura adæqvata  
 habenda, ita etiam in *hemisphærio inferiori* normam ali-  
 am præter Naturam qværere, summum erit nefas. Nor-  
 matum namq; ad Normam exigendum est, & ex collati-  
 one hujus cum illa sententia & judicium ferendum Cave  
 ideoq; intellectum humanum normam rerum naturalium  
 dixeris qui fallibilis & imperfectus est contra naturam

Nor-

Normæ, imo potius à rebus normatur atq; terminatur, qvandoq; videm non res ideo talis vel talis est, qvod in hominum cerebellis atq; crano talis vel talis esse intelligitur; sed ideo qvia res talis est, talis & esse intelligitur, conse-  
q; venter namq; intellectio se habet ad rem intellectam, & intellectus noster dependet ab illa in functionibus suis obje-  
ctive, ut loqvuntur Philosophi, quod vel exinde patet, cum  
n. disceptatur de conceptus veritate, statim ad rem con-  
ceptram actu quasi reflexo intellectus noster se convertit,  
& si eundem cum re concepta congruum invenit, tanquam  
à norma indubitata genuinum atq; verum esse judicat, sin  
vero, minus eundem improbat atq; rejicit. Solus ideoq;  
*Intellectus terminans* omnis veritatis, bonitatis, perfectionis  
ideoq; *omnis posibili*, & *Liber* ab eo apertus *Natura*, infallibilis  
& adæqvata erit mensura rerum naturalium actu existen-  
tium, cum qvibus conceptus congruens pro homogeneo &  
vero, Conceptus vero non congruens pro heterogeneo atq;  
adulterino habendus est. Confer Gnostol: consummatiss:  
y: Calov: atq; Mejeri.

### §. III.

Cum autem de rebus classis posterioris seu hemis-  
phærii inferioris, paulo altius differere mei esse officii  
animum induxi; hic Rhodus hic saltus erit ut præprimis  
pro modulo ingenii constet *Modus perceptionis philosophica*:  
in hoc mihi sudandum deinde ut demonstretur *Usus prin-  
cipiorum rationis*, quam maximè vero eorum quæ ad Metaphysicam spectant, semotis omnibus quæ remoram po-  
nere, atque instituto recalcitrare videntur, nec non ad-  
ductis omnibus illis quæ huic argumento maxime ar-  
rident.

# MEMBRUM PROOEMIALE SECUNDUM,

## *Modum perceptionis humanae pergrans succincte.*

### §. I.

Principia quædam nobiscum connasci, quæ *πρῶται ἀπ-*  
*χαὶ τελεῖαι φύσεις* dici consverunt, ideoque intellectum nostrum haud esse instar ratiæ tabulae, cui actu nihil inscriptum, potentiam vero omne inscribi possit, membrum antecedens verbo indigitavit, qvare hic palinodiam canere vix pulchrum erit, dicendis qvippè dicta corroboranda sunt, unde assertum esto tale: Principia prædicta omnibus hominibus æquæ insunt & connatuntur, licet non ut perfecti & acquisiti habitus, tamen ut aliqua *πλείων* seu igniculi & virtutum semina h. e. non ut mera *δύναμις* seu potentiale quid; sed ut *ἔξις* seu habitualis notitia perpetuo permanens atq; durans, licet imperfecta & exigua. Atq; hæc sunt illa ipsa, qvorum ope in rerum profundissimam & in abysso latentem cognitionem elevamur. Qvibus sic præsuppositis ultero dispiciendum est, qvōmodo perfecta rerum notitia in hoc corruptionis statu acquiri & intellectus noster rebus ipsis adæquari possit? Ardua sanè res est nec vacat difficultate. Ut v: problema propositum ritè pervolvamus, vix in eorum castra descendimus qui omnem omnino scientiam negant & sola Opinione semet res apprehendere credunt, ut Sceptici olim & Pyrrhonici philosophi; sed firmissimis instructi rationibus, veram scientiam atq; distinctam rerum notitiam, adeoq; indubitatam conclusiōnum affirmationem vel negationem succinctè ebuccinantes, hunc in modum ad portum pergimus;

### §. II

Experiētiā Magistrā certo certiores sumus, intellectū nostrum summum perfectionis fastigium haud attigisse, unde nec per essentiam res comprehendere potis est, qvod ipsis etiam angelis & eorum intelligendi modo, longe est sublimius. Neq; etiam res ipsæ in intellectū incurtere vel intellectus in ipsa objecta abire potest propter intercedentem improportionem, quare medium atq; turissimum iter nobis calcandum, ubi præprimis necessum est, ut accedat proportio quædam inter potentiam concipientem & rem conceptam, qvæ positâ hæc apta nata sit vibrare ex se ejusmodi species, qvæ à potentia recipi atque apprehendi queunt. Deinde cum ipsa accidentia, sint objecta sensuum externorum, atq; in sensoria agunt vel illa afficiunt ut res ipsæ percipi possint ipsis sensus externi Speciem impressam sibi, ad sensum internum communem deferunt, qui de specie recepta judicat sensibilia propria, à se invicem tum à communibus discernit, differentiasq; docet, atq; phantasie tradit ad ulteriorem & exactiorem per species spiritualiores phantasticas, pensationem atq; conservationem, unde tandem exoritur perfecta sensatio, consistens in obiecti sensibilis, beneficio specierum per legitimū medium indagata, cum organo concipiente notitia. Ista namq; sensatio pro legitima atq; adæquata habenda est, qvæ rem objectam uti in se est percipit qvarè opere pretium est, ipsas species objecti vicarias non esse degeneres & absimiles objecto sed similes virtualiter & repræsentative, nam illud qvod rei difforme est ideam ejusdem congrua vix repræsentare valet.

## §. III.

Hactenus autem quanta fieri potuit curâ & brevitate Idolum nobis phantasticum pinximus, qvod cum adhuc materialibus conditionibus immersum est atq; intellectui, qui materialis concretionis planè expers, minimè proportionatum *intellectus agens* accedat oportet, qui actu præcedaneo phantasmata impuritatibus multivariis immersa purat atque illustrat, conferendo ipsis lumen, non quidem inhærens sed objectivè tale quod Sufficit.

## §. IV.

Hic obiter notandum quod etiam supposuimus, omnem nostram cognitionem radicari in phantasmatibus atque ea ipsa tanquam fundamenta præsupponere, nam omne quod intelligitur imprimis phantasma esse creditur teste excellentiss: Mejero. Ubi per velim ritè distingvas inter *specierum intelligibilium acquisitionem*, atque inter earundem usum cum in præsentiarum non hoc sed illud à nobis attenditur. Principia quoque congenita & insita à nostro conceptu exulare facile patescit. Qvibus sic prælibatis dicimus non modo conducibile sed etiam necessarium esse, ut detur quædam potentia inorganica & spiritualis h. e. *intellectus agens* qui prævia quadam actione, Idola phantastica indeterminata actu reddit determinata, h. e. procudit, jungen- do semet phantasmatibus, spirituales imagines intelligibles, ne propter materiale ad immateriale improportionem intellectus in actu intelligendi constitutus impediatur & sic imprimit has ipsas species *intellectui patienti seu possibili tè πάντα γίγνεται* ceu loquitur Arist: lib: 3. de an: non quidem entitatib; sed potestate receptionis quod *ἀξειθως* observandum est. Hinc etiam ortum est nomen *specierum*

7

impressarum ex actu sc: intellectus agentis, imprimentis  
easdem patienti ; quod erat demonstrandum.

§. V.

Excipit tandem processum intellectionis nostræ *intellectus patiens*, atque illud ipsum quod *intellectus agens* effe-  
ctive intelligibile fecit, *formaliter* promovet ; non modo  
*species impressas* naturæ suæ congruas recipiendo, verum  
etiam per legitimum medium abstractionem scil: quæ me-  
re hujus intellectus est functio, *intelligendi actum elicendo*  
*elicitumque recipiendo*, unde iterum natus est titulus *specierum*  
*Expressarum*, hic namque intellectus ex receptis speciebus  
sibiique impressis, legitime ordinatis ponderatis atque di-  
judicatis perfectam intellectionem objecti in nobis ex-  
primit.

§. VI.

Atque sic intellectus noster ab imperfecta & mate-  
riali sensatione ad fastigium perfectæ & spiritualis intellec-  
tionis elevatus, purificatus atque exornatus, distinctam &  
acroamaticam rerum hausit notitiam, quam ipsam per  
rationem rei formalem *conceptum* scil: possidet atque per  
*habitum* difficulter mobillem conservat. ubi colophonis lo-  
co in hisce prœmialibus notandum , conceptum rerum  
dari tum actualem, tum potentialem, qvorum ille rebus  
in *statu preciso* atq; sub formali ratione , hic vero iisdem  
qvatenus per *species vel quasi species* contrahuntur in *Statu*  
*Universalitatis* convenit. Cum autem status rerum qua-  
druplex haud parum confert ad accuratam rerum noti-  
tiam omne intelligibile per quadruplicem statum intelle-  
ctui repræsentandum esse tenendum est. habitum quoq;  
ut brevitati litemus, illum indigitamus qui habitus sci-  
entificus

tificus dici s'evit, & ad primam speciem qualitatis referetur.  
 Hic ille est percipiendi modus, hic processus quo nos te-  
 nebriones multivaria rerum amoenitate pelleoti & inci-  
 tati, congenitâ vero ignorantia & sciendi desiderio im-  
 pulsâ, Deo similimos nos reddere conamus. Quæ sic præ-  
 libasse sufficiat, vid altius hæc disputata à supra laudat: ex-  
 cellentiss: vir: Dn: Doct: Calovio atque Mejer: in Gnost:  
 & Noolog: qvibus adde celeberr: Dannhaw: Discursum  
 de Intellectu ut & Clariss: Eisleri Intellig: subtilitat: nos  
 his dimissis ad propositum adeoque membra instituti essen-  
 tialia B: C: D: pedem promovemus: Sit itaque.

## MEMBRUM ESSENTIALE PRIMUM, *De Principiis Rationis in Genere.*

### §. I.

**O**mnis nostra cura qvoad præliminaria in eo occupata  
 fuit, ut ex intellectus nostri misera conditione & im-  
 potentia, processus ostenderetur ad qvodammodo per-  
 fectionem existendi modum; frustra namq; in laudes vel  
 vituperia habitum scientificorum descendimus; frustra  
 etiam de iisdem aliqvid affirmare vel negare conamus,  
 ubi non liquido constat de existentia ejusmodi habitum,  
 vel via eosdem acqvirendi possidendi & conservandi.  
 Jam ad principia rationis in Genere nostrum dirigimus  
 discursum ubi non de lana caprina ceu loqvuntur, sed re-  
 ardua perplexa atque difficile nobis disputandum erit.

### §. II.

In principiorum rationis tractatione dum versamur  
 ac scopum propositum eō felicius obtineamus, eorum  
 natu.

9

natura & indoles præprimis indaganda est. Ubi sanè non statim principium rationis erit, qvod ab hoc vel illo pro tali venditur, atque in concreto à cerebro sc: vitioso protruditur, sed qvod cum ipsis rebus congruit, atque intallibile est, nec nō ad philosophiam in abstracto ut sic hoc est ymoris ita dictam, non sophisticam, reduci potest. Cum autem *principia* sint in multiplici differentia, scias per velim bene-vole anagnosta, nos per principia non in rigore talia *seu essendi*, sed *etradoxas seu cognoscendi*, intendere atque venari. Sunt vero hujusmodi principia vel prima vel secunda, illa absolute prima, hæc orta & ex primis deducta dicuntur. Alia qvocum sunt *Communia*, adeo ut eorum veritas in nullis disciplinis atque facultatibus in dubium revocari queat; alia *particularia*, qvorum veritas tam latè se non extendit vel diffundit; sed unius tantumus sciendi generis terminis clauditur; nos non modo eorum sed etiam horum usum in signem & maximè necessarium, laconicè contemplabimur.

### §. III.

Verum enimvero cum in præsentia de *principiis cognoscendi complexis* aliquid balbutire ratio expostulat methodi; Sciendum est ejusmodi principia *inferre dependentiam* qvandam hoc est principiati illationem, nam *principia cognoscendi*, non solum *causa demonstrativa* sunt, sed etiam *rationes inferentes quædis* è quibus alia inferuntur tanquam magis nota, teste celeberrimo Calovio in Metaph: Div: ubi arctè tenendum est; ne aliquid principii loco adhibetur, qvod non respetu principiati prioritate, sì à naturâ vero *veritatis & necessitatis* patrocinio sit munitum; qvod cum de *principiis circa ens Commune*, tum de aliis circa ens determinatae *quidditatis*, intelligendum est. Cum autem *Necessitatis*

vocabulum multis immersum sic æqvivocationibus ( qvæ semper errorum genetrices atq; fontes ) ideo qvalis hic necessitas indigitatur, demonstrandum est. Ubi præprimis notandum principia rationis considerari, vel in ordine ad alia principia similia, hoc est naturā nota; vel in ordine ad principia Theologica seu revelata, Primum qvod concernet tum faciles concedimus, satis esse si modo adsit necessitas physicā sive naturæ , cum natura ut sic vix supra vel præter svetum ordinem operatur, ideoq; ex hujusmodi principiis in foro Naturæ eleganter atq; orthodoxe concluditur. Cum autem considerantur in ordine ad principia revelata atqve theologica, tum āne. Bōs videndum est, ne necessitati physicæ nimis indulgentes obicem Divinæ potentiacē ponere videamur, multa namqve Naturæ impossibilia & contradictoria, ex hypothesi Divinæ voluntatis stare possunt, qvod nemo tam bardus est qvi ignorat. Ubi itaque hujusmodi principiorum mixtio intra oculorum compendia panditur, cautè dispiciendum est, ne aliquid statuatur contradictionium, ubi de membris oppositi impossibilitate non satis liquet. Antecedens proporro sine conseqvente existere potest, illud qvippe ab hoc non in esse constituitur, sed in esse tali vel tali hoc est modificato & sub certo statu. Minus exinde sincere ad cotem veritatis ea limata rutilant ingenia, qvæ actum secundum inseparabilem esse ex perverlo Cranio scriptitant adeoq; potentiam Divinam præfractæ suæ fraudis fronte denegant, qvod erat demonstrandum, & hic quasi omnibus satis superquerutum, candide præsupponimus. Ulterius vero maximē necessarium est, in collatione mixtorum principiorum & que concursu, si alias ritē aliquid concludendum ut præsupponatur.

natur *necessitas quedam absoluta* cuius alterum membrum oppositum simpliciter priori repugnat, & ne quidem alicujus extranei agentis intuitu constare potest vel posse evadit. Vide saepius laud: excell: Doct: Calovium & subtiliss: D: Joh: Musæum contra Védelium.

#### §. IV.

Infinitis distant parasangis *Lumen revelatum atque Lumen nature*, unde etiam principium hinc erutum cum principio illius minime confundendum, uti vero insigne ponimus discrimen hæc inter, ita non minus, unum altero haud opponendum esse sedulò monemus. Certum manet hoc nempe Lumen Naturæ ista quæ puræ revelationis sunt in totum atq; solidum ignorare, nihilo fecius tamen multa revelata esse, quæ alias etiam citra revelationem ex luminis nat: principiis indagari potuissent, ultro fatendum est. Dominetur ergo in augusto suo throno sacra Theosophia nobilissima Domina, omniumq; habituum incomparabile decus, & ancilla fidelis atq; non fucata maneat, sobria Philosophia, & quidquid ignorat ex illa absq; confusione quantum par est ediscat nec non in proprium suum proprio atq; debito modo vertat succum & sanguinem. Non Deus Deo est opponendus, qui unus idemq; absolutissime immutabilis perpetuo per omnes æternitates regnat atq; dominatur, neq; Dominus revelationis Domino naturæ, qui cum diversimode se manifestare mortalibus paternè dignatus fit nihil mutationis inde passus sed eß fuit & erit ipse idem gloriosus per seculorum secula benedictus.

#### §. V.

Et sic per Divinam Gratiam absolvimus membrum essentiale primum, nunc itaq; eodem adspirante Jehova

ad ipsa *Principia orta* noster se diffundit discursus, quæ circa ens Communissimum & indeterminatum ad certum tam sciendi genus restrictum (Metaph. scilicet) occurunt, ubi pariter ut in præmissis brevitati studebimus, relictis quæ his pagellis includi nequeunt ad ipsam publicam ~~στήτην~~ ubi forsitan circa præsens argumentum commodior dabitur ansa mentem nostram exponendi.

## MEMBRUM ESSENTIALE SECUNDUM,

### *De principiis Ortis circa Ens Communissimum & corum usu Orthodoxo.*

#### §. I.

Verè Divina res est Metaphysica, verè nobilis, verè incluta, à Cœlesti illo increatæ perfectionis Oceano, familiam dicens; non enim fictitia Ethnicorum Pallas, non fabulosus Amphion, neq; alii Poëtarum potestate introducti Deastri, sed solus æternus ille bonitatis Orion Author est reginæ Scientiarum Metaphysicæ. Hæc illa est Scientiarum Dea, sine qua langvet in acroamatica theologia Theologus, caput perdidit jurisprudens, stomachum amisit Medicus. Hæc nobilissimum habet objectum & habitus principalis est propter fernetipsum expetibilis, hæc omnibus aliis objecta præscribit hæc differentias docet, hæc controversias solvit, hæc deniq; de abstrusissimis quibusvis distinctè planè sententiam fert atque promulgat. Ad hujus tribunal cum reverentia accedat juris prudens, veniat Medicus, acceleret philosophus specialis, & singuli vix habebunt quod non ediscant, sed multa insignia deportabunt in insignem suum usum, immortale decus & emolumenntum.

#### §. II.

## §. II.

Veritates vocantur ortæ, conclusiones illæ ex quibus  
 habitus noster ὁὐλογίνος conflatur, quæ omnes conve-  
 niunt in uno conceptu analogico, qui suis essentialibus con-  
 stitutivis & modis contrabentibus affectus est & in nulla alia  
 disciplina sese habet per morem constituentis consequentis vel con-  
 trabentis essentialiter: unde etiam perfectam & absolutissi-  
 mam constituit disciplinam quippe quæ nihil aliud est  
 quam obiecti coram mente solida repræsentatio. Hæc  
 prima illa est sapientia quæ intelligentia & scientia con-  
 stat, non formâliter sed virtualiter, quia sapientia adhibet prin-  
 cipa, quod est intelligentie, verum sub alia ratione, verba sunt  
 consummatissimi theologo-philosophi Calovii. Non ut ista  
 signatè, abstractè, in quantum à naturali rerum representatione  
 & affinitate hauriantur, & ad objectum certum revocantur; sed  
 exercitè & applicatè, prout faciunt ad universalissimas conclusiones,  
 de ente formandas & cœu reliquarum scientiarum fundamenta  
 immotè firmandas adeo, præter principia simul exhibit conclusiones,  
 quod Scientie est. Huc usq; ille iam ad munera Me-  
 taphylices nos accingimus.

## §. III.

Munera & officia, quibus literatum Mundum col-  
 lustrat Aqvila scientiarum Metaphysica, sunt præcipue tria,  
 quorum uti sublime ita prorsus regium est, primum inferio-  
 rum scilicet Disciplinarum directio, quo munere quomodo præ-  
 sit, paulo liberius pensitabimus. Particulares scientias hoc  
 est sapientias secundas, quæ circa ens determinatæ qvid-  
 ditatis occupantur, illa quæ abstractissima sunt, & suum  
 formale transcendunt, prorsus ignorare, in aprico est &  
 citra omnem controversiam; quare etiam in designandis

sibi obiectis ob penuriam terminorum transcendentium nihil proficiunt, quamobrem maxime proficuum est, ut ea ipsa talunde constituta atque specificata, præsupponant, quod cum in nulla alias disciplina, necessario in Metaphysica fieri debet. Hæc sola obiecta & leges præscribit, hæc terminos definit, hæc rationes suggerit, heterogenea quævis & adulterina decidendi. Sed dicis: hinc dispaleſce-re Metaphysicam non esse propter se expetibilem, adeoq; nec habitum principalem, cum propter alias disciplinas determinatas appetatur. Verum Respond: Metaphysicam non appeti propter disciplinas illas quæ sub ente quâ tali continentur, ut medium quoddam ad illas ordinatum, sic namque illæ ipsæ respectu Metaphysices se habent, sed tanquam causâ eminentem atque superiorem, influentem suo modo, & virtute adiuvantem atque collustrantem alias determinatæ quidditatis scientias, h. e. illas quæ direc-tione indigent & inferiores dici solent, non vero direc-trices quos superioribus annumeramus. Hinc non ab-ludit Thomas cont. Gentes ret. Francifco Svarez: dum hæc profert: *hoc autem modo se habet Philosophia prima ad alias scientias speculativas, nem ab ipsa omnes alie dependent, utpote ab ipsa accipientes sua Principia, & directionem contra negantes Principia, ipsaque prima Philosophia tota ordinatur ad Dei cognitionem tanquam ad ultimum finem.* Ubi tamen caute velim capias vocabula, *ad alias scientias speculativas;* & non exclusive cum etiari disciplinæ practicæ constituuntur objectis atque li-mitibus, una cū Juris prudentia atque Medicinâ ab ipsa ſe-pius nominata Metaphysica, quæ merito scientiarum apex atque fastigium nominatur, & in omnes prædictas disciplinas & facultates vigorem instillat quā plurimum.

Cum autem iam satis prolixè munus Metaphysica pri-  
mum enodavimus, quo ipsa tanquam Regina præsidere  
potest justitiæ, ideoque nobis justo ordine alterum ejus oc-  
currit munus priori fermè subordinatum, quod consistit in  
*Conclusionum ex primis Principiis confirmatione* quo munere  
rite fungendo controversias in reliquis disciplinis dirimere  
potis est. Munus hoc anxiè torquent philosophi & de pri-  
morum principiorum confirmatione haud parum disce-  
ptant. Nos vero pro ratione instituti atque modulo in-  
genii, *cum in magnis & voluisse sit est;* hunc in modum ra-  
tiocinamur.

Principia prima dum confirmari dicuntur à nostra  
hac sapientia; notandum est: Metaphysicam haud versari  
circa Principia prima formaliter *ut Principia sunt*, qui mo-  
dus circa eadem, proprius est, habitui principiorum pri-  
morum qui eadem signate peragrat, *sed ut sunt aliquo*  
*modo conclusiones;* unde etiam in §. preced: IV. hanc i-  
pfam conclusionum, *non Principiorum*, confirmationem  
dicimus. Unde patet Principia prima non confirmari posse  
ab eadem, per elicionem assensus evidenter & certi *quem*  
*intellectus, Lumine naturali ductus sine discursu præbet;* *primis Prin-*  
*cipiis, sufficienter propositis.* h. e. non confirmari prima Prin-  
cipia ab illa (Metaphysicam puta) intensive sed extensive,  
novum namq; assensum operatur per actum distinctum  
modo proprio non priori communi; terminos transcen-  
dentales ex quibus prima principia constant declarat,  
& novam Principiorum evidentiam & certitudinem præ-  
bet. Qvare etiam cum omnia Principia prima in re non ba-  
bent intrinsecum & formale medium, per se cognoscuntur ex cognitione  
termino

*terminorum.* Ulterius vero confirmat Principia prima Disciplina nostra Demonstratione, qua utitur cum Directum per impossibile, illa ab essentia & affectionibus procedit, licet non ut causis strictè sic dictis tamen ut à virtualibus quæ sufficiunt ad scientiam in ultima formalitate spectatam. Hæc vero ab invictissimo illo principio; impossibile est de eodem idem simul affirmare & negare demonstrat. Cum autem divisa imperia inter se habent disciplinæ superiores tres hæc nempè Sapientia prima, Gnostologia ac Noologia & brevitas hæc omnia declarare prohibet dum aurora publicæ ~~avertit~~ benigne affulserit pluribus, per Divinam gratiam, oblata occasione discursum adornare conabitur.

## §. VI.

Tertium Munus Sapientiæ primæ, consistit in omnium quæ sunt in universali cognitione. Verè sanè omnia quæ sunt nobis aperit hæc ipsa, & reliquas sub ente qua tali retentas Scientias, quæ singulæ sine hac confusæ nimis, radiis suis illustrat, adeo ut evidentissimum maneat hoc effatum: nullam Scientiam completam perfectam & distinctam reperiri nisi adiutorio aureæ Metaphysices polita, actuata & constituta sit. Ubi tamen Metaphysica nunquam extra suum formale, proprium conceptum & abstractionem divagatur, descendendo ad principia particularia præcise talia: nisi vel quatenus necesse est ad proprias definitiones tradendas, propriosque terminos explicandos vel etiam quatenus in iisdem generales rationes & præsertim transcendentales includuntur. Unde hoc liquet quod sc: in aurea hac disciplina & vere nobilissima omnes res nobis proponantur quatenus entia sunt & earum affectiones communissimæ dilucide expenduntur. Nihil positivi habet

57

bet scriptura nihil natura qvin habeat hæc ipsa & pen-  
sicutur de qvibus prolixè satis Svarez: Calovius.  
Scheibl. Frommius aliique Magni nominis philosophi  
qvos vide.

## MEMBRUM ESSENTIALE TERTIUM,

*De usu speciali Metaphysico in S. Theosophia.*

§. I.

Magnos magna decent, & quantum intersit in formalis  
ratione transcendentium assignanda, hoc  
sublimibus taltem ingeniis nosse datum est; Unde etiam  
nostrarum virium satis concii, in hisce abstractissimis &  
altioris indaginis, nostram infantiam nunquam non agno-  
scimus & confitemur. Verum enim yero Cum jam in  
præmissis ad captum judicii, Naturam Metaphysices, of-  
ficia atque imperium breviter repræsentavimus respectu  
specialium scientiarum; nunc recto nos excipit Qvæstio-  
num vel qvalem usum Metaphysica in sacra Thelogia  
habeat? ubi ne irritum incepturn nostrum suspendatur  
debilis atque solitus stylus continuabit.

§. II.

Hic in frontispicio statim nobis se offert trita illa prin-  
cipiorum distinctio, qua herciscuntur in *formalia* quæ no-  
tionalia sunt & *materialia* seu realia, de illis res supra o-  
mnem dubitationem posita est, quod ne quidem unum ar-  
gumentum vel in Tgeol. vel Philos. proferre qvimus,  
qvin eorum notitia imbuti simus, & hoc in loco non ve-  
niunt in Controversiam; de his vero nempe materialibus  
Principiis dispar est ratio; & non immerito disqviritur  
num aliquem usum in S. Theosophia habeant nec ne? nos  
vero hic anteqvam aliqvid certi statuamus nonnulla præ-  
libare pulchrum putamus.

C

§. III.

## §. III.

Primo qvidem circa *propositiones & earum differentias* obiter notamus, Omnes propositiones constare materia & forma, vel quod his est analogon, Ubi cum antecedens & consequens sive etiam terminus major & minor materiae vicem subeunt, vix poterit quisquam ex iisdem aliquid certi determinare, num scilicet Theologicas vel Philosoph. propositiones constituant, tametsi de extremis ipsis tanquam alicujus disciplinæ propriis & homogeneis, liquido constet, neq; etiam propositionem gignit Theologicam aliqua propositio exinde, qvod in sacris pandectis vel solum quoad materiale vel etiam quoad formale continetur, quemadmodum nec omnis propositio Philosophica dicenda quæ alicubi in philosophia subjecti loco adhibetur. In his itaq; omnibus propositionum formale inspiciendum est, h.e. mediusterminus, non qvidem absolute sed in ordine ad extrema quorum medium est, à quibus secundum rem non differt. Manet ergo qvod *questio tanquam materiale objectum scientiae, à Principio à quo dependet tanquam à ratione formalis objectiva, denominanda sit.* Inquit Celeberr. D. Iohan. Musæus.

## §. IV.

Præsupponimus autem hic Philosophiam & Theologiam diversis Principiis originem debere, illam rationi hanc vero revelationi, qvare si Principium incomplexum sive medium, Principium revelationis præsupponat, Theologicam, sin vero Principium rationis, Philosophicam, propositionem gignit. In hoc autem sensu ratio & revelatio in oppositione veniunt intelligendæ, cum de quæstionibus Theologiae propriis sermo sit, h. e. revelationem hic intendi supernaturalem non modo ratione efficientis & mo-

& modi sed etiam ratione entitatis & substantiæ talem,  
ad cuius cognitionem ratio ut ex sua natura pervenire  
possit impossibile est & simpliciter repugnat.

§. V.

Quamvis autem sic luculenter constat Theologiam &  
Philos. sibi invicem opponi tamen ratione suæ essentiæ mi-  
nime inter se pugnant, neque veritas hujus in ista falsitatis  
argui potest ( qvod tamen commentus est Hoffmann-  
nus cujus etiam erroris patrocinium in se suscepereunt  
Ptaffradius, Kittelmannus, Schillingius & multi alii ipse vero  
auctor meliora edocitus palinodiam cecenit ) multa namq;  
inter se habent communia qyibus non modo illa sed e-  
tiam hæc uti potest atque revolvere. Licet quoque propo-  
ositiones purè supernaturales & ratione suæ substantiæ  
tales qvæ ipsa mysteria concernunt, rationis judicio sub-  
esse, haud facile quisquam dixerit , nihilominus tamen  
ad inferendam conclusionem , Principia rationis usum  
præstant insignem, adeo ut absque omni eorum opera  
non sit commodum conclusionem fidei per modum an-  
teced: conseqvent: & pugnantium ex S: pandectis eru-  
ere. Qvod clarius exinde dispale seit; cum ratio propositio-  
num formalis, unio silicet extre morum, sive antecedentia  
conseqventia & pugnantia, in iis quæ in S. S. formaliter  
& expresse non extant ponderanda veniunt; tum ut illud  
faceam , qvod in multis alterius præmissæ locum subeant,  
præfertim in iis argumentis qvorum utrasque præmissas  
S. S. non suppeditat, etiam sibi revelatis quæ antecedent:  
conseqvent: & pugnantia sunt, naturam eorum expandunt  
nec non juxta habitudinem quam habent ad se invicem  
illa ipsa disponunt..

§. VI.

Ex dictis jam liquet qvod materialia Principia qvam

maxime inserviant ad medium terminum eruendum et iam in iis propositionibus, qvæ merè mysticæ & supernaturales sunt adeoq; non saltem concernere veritatem connexionum sed etiam sententiarum contra Vedelium. Ulterius vero in antecedentibus assertum nostrum se extendit ad ipsa principia rationis quod etiam tuto in articulis fidei inferendis adhiberi queant; non quidem ut principium particulare unde conclusum in esse suo formaliter dependeat, qvod contradicitorium est, sed tamen ut necessarium qyoddam commune sine quo difficulter vel ne difficulter quidem & integre processus institui potest. Certum namq; est, experientiâ constat & magnorum virorum calculo dudum comprobatum, qvorum ut doctrina admiranda ita auctoritas veneranda; fere innumerabilibus in locis præmissam rationis cum præmissa revelationis ad conclusi; fidei artic: influere, verum tanquam principium nniversale unde conclusio non denominatur quod attendendum.

### §. VII.

Removemus autem hic, & ex numero mere Theologicarum conclusionum, ad qvas haetenus dicta pertinent, omnia illa qvæ rationis lumine indagari queunt exigenda esse concludimus: h: e: nostra effata illas saltem conclusiones quæ cum ratione causa tum ratione subjecti supernaturales nuncupare sivevimus, involvere dicimus. Male itaq; Ockam. ut observat Celeb: Joh. Muſæus, omnes illas veritates theologicas esse contendit quæ homini ad eternam beatitudinem inserviunt. Male Keckermannus ex numero propositionum theol: omnes illas excludendas esse putat quarum extrema solius theologia non propria

et hoc

**S** homogenea sunt. Malè Vedelius: Theologicas propositiones ad illas etiam omnes extendit; quæ solum quoad materiale vel etiam quoad formale in S: Bibl: extant &c continentur. Ubi notandum: qvod non statim omne illud quod in S: pagina expresse habetur qvamvis etiam naturâ constet ejus veritas, Natura immutata & quasi usi Christi & Apostolorum Sanctificatum in Theologicum transformatur, qvemadmodum nec illa omnia quæ virtualiter ibidem includuntur exinde Theologica esse censenda sunt. Manet ergo & perstat veritas theos nostræ, quod saltem pure Theologicæ propositiones istæ denominandæ sunt quæ captum humanum transcendentia mysteria concernunt, & qvarum oppositum num impossibile nec ne ex naturâ indagari evidenter nequit, sive juxta Scotum veritates complexæ ejusmodi quæ posita omni actione intellectus agentis & phantasmatum adhuc manent ignota & nebis neutrae.

### §. IIX.

Pensiculatis sic principiis rationis & quantum robur habeant in illis quæ Theologicarum Sententiarum veritatem concernunt. Nunc ultrò videndum est qualia se præbeant, prædicta principia in pravis conclusionibus confutandis. Ubi sanè in quantum conclusiones à principio Theologico vere dependent qvem usum & quantum principia rationis habeant & habere debent qvivis cognoscere potest. *Cum enim fides infallibili veritati innitatur, impossibile autem sit de vero demonstrari contrarium, manifestum est probationes quæ contra fidem inducuntur non esse demonstrationes sed solubilia argumenta:* inquit Div: Thomas. Ne vero omnem usum principi: rat: etiam in-

confutando rejiciendum esse ponamus, observandum est propositiones ejusmodi quas mixtas vocant theologi & philos: & credendas ob auctoritatem S. Scripturæ, participare de objecto communī adeo ut earum cum veritas, tamen falsitas tam ex Scripturæ quam rationis principiis, licet dispari ratione, demonstrari & refutari possit, præsertim si earum oppositum evidenter involvit contradictionem, sin vero minus & contradictorium ex natura evidenter indagari nequit hoc speciale manet, ut earum confutatio committatur S. Scripturæ ad cuius lācem pravæ propositiones examinandæ corrigendæ & refutandæ sunt. Hinc facile apparet qvam necessarium est ut omnia præcepta Metaphysica formentur in abstractiōne entis, quæsola est vis communissimorum conceptuum. Non itaq; res Divinæ ex abjecta creaturarum conditione veniunt ponderandæ sed in analogica applicatione subsistendum est, nam uti hujus usus (puta Metaphysices) omnino magnus ita abusus perniciosissimus qpi veritati vim infert, adolescentes turbat, adversarios autem insolentes facit, loquitur Clariss: Geilfusius. in Contempt: suis in Pr:Phil:

### §. IX.

Concludimus ergo hic propositionum Theologicarum rationem formalem in revelatione Divina consistere & illas qvæ Naturā notæ sunt Philosophicis annumeramus; Qvamvis autem multa in scripturis extant quæ etiam naturæ sunt & Dei naturam nec non res divinas attингunt nihilo secius tamen hoc, in oppositione se contingenter accidenter & extrinsece habet, unde nulla deponitur denominatio.

### §. X.

## §. X.

Probant hæc singula quæ hactenus dicta sunt usum Philosophiæ sobrium in S. Theosophia, ubi tamen Coronidis loco pauca addemus. S. Theologiæ vocem hic uon accipi præcisè pro qvâcunque, sed determinatè & ordinario modo acquisita, accurata & perfecta mysteriorum divinorum cognitione atque notitia, qva Theologus qvivis dñis esse debeat καὶ παρακαλεῖν εἰ τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινέσσῃ καὶ τῇ ἀνπλέγοντας ἐλευχεῖν. ut Apost. Tarsens. efflagitat. ad Tim. I. & cultui Divino contradistinguitur. Per philosophiam autem veram genuinam sobriam & in abstracto innuimustalem. *Rationis* etiam vocabulum cum in qvavis fere linea occurrit in dictis hactenus & modo dicendis, non physice intelligendum est, sed objectivè pro Lumine naturali in quantum sibi relictum & inhærentis malitiæ immune est, Qvo modo ratio se non jactat dominam sed fatetur servam monente Clariss. Mejer. Et hæc fuit causa cur etiam in superioribus rationem *Normaliter* & *directive sumptam* ex confortio rerum sublimium Divinarum & supranaturalium sedulò eximendam esse nunquam non admonuimus.

## §. XI.

Manet ideoq; ultimo qvod sola Metaphysica à plebeja Sapientia ad abstrusissima qvæq; nos promovet, & hallucinantes in subtilissimas scientiarum rupes dicit atque transmittit. Hæc illa est philosophiæ Dux & veritatis indagatrix qvæ ab ignorantiae morbo nos liberat, hæc ut breves simus, terminorum & rerum abstractissimarum naturam scrutatur indagat. Hæc Canonum certitudinē ponderat. Hæc affectiones proprietates & attributa omnium quæcun-

quæcunque sunt demonstrat & examinat. In summa hæc est rerum humanarum Divinarumq; Scientia. Qvæ omnia non possunt non commendare ipsius Metaph: utilitatem necessitatē & dignitatem. Multæ sunt controversiæ Theologorum in quibus vel expresse vel implicite continentur termini philos: primæ. Non potest autem qvæstio illa decidi ignotis terminis illius. Si partes Theologiæ spectes διδασκαλίαν, ἐλεγχόν τὴν εἰρήνην profecto ad omnes le diffundit regina Scientiarum, ut clare demonstrat excell: Meisn. & videre est ex Celeb: Pfeiss: Calovio & innumeris aliis qvare ne sèpius coctam crambem afferre videamur, in ipsis specialiter proponendis subsistimus, qvæ alias ex supra disputatis facile constant. Concludimus itaque cum celeb: Meisn: qvi inter alia seite scribit h. in modum *Discipl: Philosophicarum (præprimis Metaphysices) sobria cognitio futuro accurato Theologo tum ratione preparationis tum ratione ipsius perceptionis & defensionis locorum theologorum non utilis modo verum etiam necessaria est.* Plura ad hanc rem supped: Excell: Meisner: Scheibler: Gèlfus. qvos etiam, præprimis vero subtil: & sèpè laud: Joh. Musæum per totum hoc membrum, utinam bene, secuti sumus.

## MEMBRUM ESSENTIALE QUARTUM,

### *De abusu Metaph: Heterodoxo.*

#### *S. I.*

**U**t usus laudem ita abusus reprehensionem meretur & qvò res major est eò etiam in ejus abusu qvi reprehenditur gravius & errorem majorem creditur errasse. Hoc ipsum sanè in Metaphysica heri & hodiè, proh! dolendum est, qvam, qua plurima exemplaria adeo depravata

8

23

tam legimus & non etiam vitiosè applicatam, ut nihil inhibe  
reperire liceat nisi Cynicas rixas & ludicras Sophisticati-  
ones, quæ animum huic studio sese applicantem pertur-  
bant, & quasi formidanda spectra, umbra sua inspicien-  
tibus terrorem crepant & incutunt. Nostrum autem non  
est animum despoderē; quare etiam ex illis, spretis ine-  
ptiis, feligimus, carpimus, retinemus & nobis imprimi-  
mus quæ bona quæ utilia sunt. Nunc vero in eo sudan-  
dum esse proficuum duximus, ut libatam demus hanc  
artem artium & restauratam, imo ab illorum ( antagoni-  
starum puta) qui eam nescio magis ne inertiâ an maliciâ,  
suis scismaticis adoruntur, sœvo latratu, vindicatam,  
quod evidem fieri tum arbitramur.

- Si I. examen eorum quæ ab adversa parte objici  
solent legitime instituantur.
- II. Necessitas hujus scientiæ evincatur.
- III. Hujus ignorantiam Hæresium & magnorum er-  
rorum causam fuisse probetur atq; ostendatur.
- IV. Denique abusionis modi repræsententur de  
qvibus ordine.

S. II.

Quantum ideoque ad contrariæ partis sophisticatio-  
nes, videmus eorum palmaria argumenta deprompta  
esse ex Sacr. Pandectis male intellectis quod ex sequen-  
tibus facile constabit: I: afferunt locum Rom. 8. sapientia  
carnis inimitia in Deum: Ubi per sapientiam carnis Philoso-  
phiam interpretantur sed prave. Sapientia enim carnis hic  
opponitur Spiritui, & est illa quæ est hominis in quantum

activus est, ex sua carnali propensione, quod ex *συνάρχει*  
textus appetet. Philosophiam autem cum opus *φυσικόν*  
sit, Deo inimicam esse oppido repugnat & opus auctori  
suo non displicere potest. Calculum insuper nobis addit  
nota illa B. Luth. regula. *Quandounque caro in scripturis*  
*opponitur Spiritui, tum carnales, ex natura prout corrupta est,*  
*prodeuentes cogitationes denotat.*

### §. III.

II. Nobis objiciunt locum Coloss. 2. *videte ne quis vos*  
*decipiat per Philosophiam unde Philosophiam tanquam pra-*  
*vam explosam volunt. Verum enimvero tantum abest ut*  
*hic locus Apostolicus à studio Philosophico nos avocet ut potius ad*  
*illud tacitè invitet: inquit excellentis: Meisnerus. Nam res*  
*ob abusum non est rejicienda, Sanctissimo Numine abu-*  
*tuntur illi qui nomen ejus in magicis & diabolicis arti-*  
*bus adhibent, num exinde Deus æternum laudatus rejiciendus.* immo sua propria ratione abutuntur qui ex mi-  
ferrimo armamentario suo hujusmodi strophas protrudunt; miror itaque num eam abjiciant & conseqüenter nullam habeant rationem? Ut *ναῦ ἀποστολῶν* ipfis reponaamus. Alia autem loca biblica ut ad Rom. i. & i. Cor. i.  
vel quæ sunt alia, crassum præsupponunt abusum Philosophiæ in quantum fidei magistra esse non erubescit. Qvare  
ulteriori examine supersedemus.

### §. IV.

Miror adversam partem eo audaciæ & potius im-  
portunitatis prolapsam, ut sine ullo pudore etiamnū plum-  
beas suas objectiunculas & intra ineptissimi sui cerebelli  
palatia procreat, nobis opponere non erubescat: qua-  
rum primam talem formant. Si *Theologia & Philosophia*  
*sunt*

sunt distincte principio fine & ratione formalis sequitur.  
loph: aliquid depromit & Theologie applicat committere uel ab eo  
eis aliove, atque subsumunt de Majori quod vera sit ergo etiam  
inferunt nos committere uel ab eo eis aliove. Hinc equidem  
ignoro quales sibi non pollicentur victorias, ast bona ver-  
ba quæsto. Resp. applicando ad prælens definitionem uel  
ab eo quæ sic sonat: uel ab eo est transitus quo quis ex  
principio vero sed peregrino demonstrare conatur affectionem de sub-  
jecto diverso. Hoc nil nostræ theleos veritati præjudicat, nam  
principium Metaph: quod theologiæ inservire non vero  
dominari assertum dedimus. Non primo mutat suum formale  
& in theologicum abit sed manet ut fuit metaphysicum.  
Non secundo (ne modo abusum intendas) principium hoc est  
peregrinum cum æque in theologiâ ac philosophiâ valeat  
si alias commune est, sin vero particulare & Metaphysicæ  
proprium tum mysticis æque ac naturalibus adaptari nil  
vetat iterum, præfertim qvoad signatam terminorum enun-  
ciationem, niam omnia præcepta metaphys: in abstractione  
enris formanda sunt, ut membr: proximo innuiimus, ubi  
tamen caute procedendum præprimis vero distingvendū  
inter rerum mysticarum examen & inter auxilia examinis proces-  
sum facilitantia. Ut illud solius theologiæ proprium est ita  
hoc sobriæ philosophiæ haud deriegandum. Non tertio dé-  
monstrat affectionem de subjecto diverso sed proprio atq;  
eodem sub proprio formalis & considerandi modo.

§. V.

Secundam vero Obj. in nostra castra hanc vibrant. Qua-  
cumque disciplina contentionum rixarum & errorum fons & scru-  
rigo est, illa disc: est rejicienda, atq; Metaph: talis est. E. Resp: Quid in buccam venit effutire pergit & verba nobis ob-

sine ratione.. Non Metaphysica errorum  
in & rixarum tons est, sed potius errores cor-  
rigit, rixas & contentiones componit, si modo sobria & sibi  
relieta sit. Quid, vitia artificum non imputanda sunt arti  
& quod ratione suæ inexistentiæ hoc est in concreto vitio-  
sum est, potest ratione suæ essentiæ atque naturæ seu in  
abstracto optimum atque necessarium esse. Sed satis ad  
hæc monstra. Alia ejusdem farinæ omittimus tanquam  
inanis, quæ si oggeruntur vix gratis consequentiam  
habebunt..

§. VI.

Ut promissis stare queamus, in paragraphe præsenti  
Necessitatem Metaphysices breviter demonstrabimus, &  
quamvis omnia quæ in hac disputatione allata sunt lucu-  
lenter hoc ipsum evincant, nihilominus tamen illam et-  
iam heic paucis ostendere non pigebit. Cum itaq; cer-  
tum est adversarios nostros in religione, Metaphysicis  
armis instructos esse, non potest non esse conducibile, ut  
etiam nos in scientia eadem proficiamus, ne forte nos  
decipient, vel ad minimum convitiis prosequantur. Ubi  
tanquam indoctum vulgus, in tam nobili scientia cuius  
tam excellum objectum tam insignis usus tamque ju-  
cundus finis rudes inveniant. Locus solemnis est in Metaph:  
Job:Maccov: pag.mihi 277 qui sic sonat: *Queritur inter nos*  
*& Lutheranos utrum scriptura realiter agat in hominem an vero ob-*  
*jectivè? nos objective dicimus: Illi rudes in metaphysica ignorant quid*  
*sit objectivè quid realiter agere. Unde nostrum assertum perspi-*  
*cuum evadit quum re ipsa ostium sit quantis opprobriis*  
*quantisve ignominiis nos appetit antagonistarum tur-*  
*ba. Quamvis etiam certum sit quod Maccovius*  
*ipse perversus rudes & miserrimus fuit Metaphysicus seu*  
*lucu-*

Iuculentissime ex corruptissima ejus Metaphysica constat,  
cujus errores excellentis: D: Calov: in quavis fere pagina  
notavit & inter alia locum allatum etiam docte & eru-  
dite evertit ut videré est ex Met: Div: cap: de actione.

### §. VII.

Tertio nos ostensuros promisimus: *Metaphysicæ igno-  
rantiam magnorum errorum & multarum heresum causam ex-  
positisse*, quod sanè plusquam satis calculo suo confirmant  
tot publicæ luci consecrata, vitiata volumina. *Damascenus*  
inter personas S: S: Trinitatis rationis discrimen inter  
cedere contendit nos vero reale admittimus. Ubis si quid ra-  
tionis quid vero reale esset discrimen ex Metaphys: edo-  
ctus fuisset vix. suæ sententiæ adeo perseveranter adhæsisset.  
Par ratio est de *Keckermanno* qui Modaliter S: S: Div:  
personas differre clamitat; si sanè novisset ex Metaphys:  
modalis distinctionis naturam quæ rem & modum ejus  
intercedit, nunquam eandem inter modos subsistendi  
& relationes subsistentes incommunicabiles, locum habe-  
re affirmasset. *Flacii Illyrici*, nulla alia causa quam ignoran-  
tia Metaphysicæ, peperit errorem, dum *peccatum Origina-  
le non accidens sed substantiam esse disputaret*. Ut vero rem in  
compendium redigam; ponderanti singula nervole, vix  
difficile erit nobis assentiri. Unde namq; errores Calvi-  
nianorum dum Sacraenta signa nuda esse affirmant.  
Unde *Anthropomorphitarum* qui *Deum corporum esse impiè fa-*  
*tis blaterant* Unde *Monothelitarum* qui *Christum verum ho-*  
*minem esse & tamen voluntate humana destitutus*, docent; Nisi  
ex Metaphysices incognito jubare ortum suum traxit.  
Quæ singula cum ex natura nota sunt etiam ex natu-  
ra seu rationis principiis firmiter enodari queunt.

*Memorabile est quod narrat Boëthius, cum in Concilio Niceno omnes dicerent duas naturas & unam personam Christi, neminem tamquam servisse quid persona sit ex qua etiam ignorantia factum est, ut cum aliqui dicerent tres esse personas Divinas, alii tamen nollet ita loqui.* Unde vero hic scrupulus nonne ex ignoratione Metaphysicae clare expanditur quid suppositum vel quid Persona sit, & non esse impossibile simpliciter in una essentia tres esse subsistendi modos vel etiam in una persona duas naturas, unam vero subsistentiam, quam Divina Natura humanae naturae communicat ut ea subsistat. De quibus prolixè differere a scopo nostro peregrinum est. Hæc jam sunt illa ex quibus unumquemque ad id adduci confidimus ut assentiat nobis, & quæ necessitatèm atque dignitatem Metaphysicæ evidenter probant, cognoscatur adeo ut non sine summo iudicio dixerit Philosophus III. Met. cap. II. *Scientiam maximè principem, appellans Metaphysicam, cuius Scientias ceteras tanquam ancillas non contradicere decet. conferat Clariss: Hundeshagens excell: Stahlii supra Laud: Scheibl: Calovii & Geilfusii scripta Metaphysica.*

§. IX.

Quarto ipsos Abusionis modos hic repetere non inutile erit, ut appareat quomodo Philosophia abutatur, & quam graviter erret barbara Sophisticantium turba, consistit autem primus abusionis modus in eo quod in *theologiae impingit*, dum scilicet concluditur viribus naturae per subtilitates philosophicas accendi posse lumen Spiritus Sancti in cordibus nostris quod è diametro repugnat Scripturæ & reclamat experientiae in quo errore Notus Keckerman: a Calov. Scheibl: atque Meissnero, & aliis orthodoxis: perplurimis

§. IX.

## §. IX.

Secundus abusionis modus est iniq<sup>us</sup> in theologiam, dum fidei mysteria ad rationis trutinam examinare qviseque allaborat. Et omnia ratione comprehendere satagit quæ tamen super rationem posita sunt. Hujus erroris obnoxii sunt omnes Sociniani, Cingliani, & Jesuitæ, qui armant rationem contra Scripturam & qvæ non nisi ex scriptura constant rationis decempeda dimetiri conantur; ignorantes illud Chrysost: *magnum est periculum res fidei humanis committere rationibus*. Immo susq<sup>ue</sup> deq<sup>ue</sup> habentes tot perspicua atq<sup>ue</sup> clara Script: S: loca, dum modo res non sunt ratione comprehensibles, impie satis atq<sup>ue</sup> prophane statuunt atq<sup>ue</sup> organiunt nihil à Deo ad credendum propositum esse nisi qvod ratio comprehendere potis sit. Heu impiam stultitiam! heu stultam impietatem! Hinc nulla credenda retinent, omnia evacuant, & miserrimam rationem quæ pedisseqva esse deberet, supra scripturam elevant, & contra eandem licet inertes pugnant. Quid itaque mirum si in tali casu *philosophia inutilis evadat cum sobria esse desinat & Theologie non subjiciatur sed proficiatur*, Inquit saeppe laud: excell: Meissner: consule de dictis Calov: Theol. celeb:

## §. X.

Et sic benebole L: pro ratione *instituti & modulo ingenii summae Philosophiæ usum* satis ut arbitramur probavimus, & Sophisticum eius abulum improbabimus, nullam agnoscentes pugnam inter S: Theologiam & Reginam scientiarum, qvod luculentertum ex Libri & Disciplinæ ueriusque Anctore qui sibi ipsi non contrarius, tum

ex ratione sequenti quæ impingit, cum etiam de Libri Script: & libri naturæ enī ex conspiratione, & ex adversa sententia prodeunte absurditate evictum deditus; & equivocationes etiam qvanta potuit fieri fidelitate semovimus, ut dictum illud ratio mysteria habet pro stultitia, dubiae fidei evadat, cum ratio ut sic cum ratione tali vel tali confunditur; & qvamvis ratio in sua sphæra de mysteriorum veritate nil erupit, potest, qvia transcendentia sunt, non tamen illa falsa esse adstruit sed tanquam inusitata, & supra consuetum naturæ cursum posita in medio relinquit, admiratur.

### §. XI.

Illis itaq; omnibus qui Disciplinam hanc sine omniratione pessimum dant, & tanquam futilem inanem atq; nullius pretii contemnunt rejiciunt, alta mente reponimus illud: *Ars non habet osorem nisignorantem.* Qui vero humanae sapientiae opinione turgentes Metaphysicam supra Theologiam elevant & sic in articulos fidei immittunt, rursum illud Apostoli Rom. 8. Iō Φρόνημα τῆς οὐρανοῦ ἔχει. *Iota 16. Octo.*

Floreat itaq; sana & sobria Philosophia & nunquam eadem seu legitima esse desinat. Alias verbum Divinum quod lux pedibus nostris exacta genuina Regula vitæ nostræ & unicum principium non sucatæ Religionis perpetuo maneat !! unde fidei incrementum, unde patriæ emolummentum ? nisi ex S. Sancto verbo tuo O Altissimâ Trias. In quo nos diutissime servet ille idem in secula seculorum benedictus D.T. O.M. felicitet, secundet, atq; fœcundet. Amen..

